



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

VII. Primariæ difficultati, quæ sinceram hanc refectionem impedit, satis fit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40105

dam & purulento carcinomate sensim contabescet & consumetur (: Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea:) declarando se autem multa in trorsum pace & gaudio perfundetur.

CAPVT VII.

Primaria difficultati, qua sinceram hanc refectionem impedit, satisfit.

VNa ex præcipuis difficultatibus, aut certe omnium, ob quas nonnulli à se ipsis & animo suo apud superiorem detegendo deterrentur, præcipua est, quod hoc pacto se confundendos, bonum, quod fortasse apud eum habebant, nomen auctoritatemque amissuros, impofterum se ab eo vt suspectos habendos, ac nihil sibi posthac credendum, neve diligendos se, vti solebant, arbitrentur. Hac diabolus fraude multos decipit, eosque vt se vel omnino non, vel saltem non perfecte declarent, inducit: At si longe secus se omnia hæc habere ostendamus, & ita quidem, vt ex hac sui deteptione & apertione honorem sibi potius, & nomen & maiorem amorem comparent, ex celatione vero omnia hæc amittant; difficultas hæc penitus ablata & complanata videbitur: Porro Dei iuuante gratia, id hoc loco cõmonstrabimus, vt appareat, quam aliter longe se res habeat, quam illam nobis demon, quo nos decipiat, repræsentat; quod & in omnibus ipsius tentationibus vsuuenit, ipse quippe pater mendacii est. Dico ergo nulla re magis, quæpiam suum apud Superiorem nomen & æstimationem amittere, quam se non reuelando, ab eo se subducendo, eique occasionem dando, vt se seu duplicem fictum & fucatum habere incipiat, Nulla, quam detegit, imperfectione tantum sui nominis amittet, quam hac celatione: nam imperfectio qualibet non nisi vna est, sed aliquem vt tacentem & duplicem habere, multum simul complectitur; nam de multis imperfectionibus eum suspe-

ctum reddit: Dicitur quippe de eo: Hic se candide non aperit, vnde noui, an non, sicut hoc celauit, ita alia multa celaturus sit? Vnum hoc superiorem magis grauat & cruciat, quam quicquid ille de se dicere poterat; contra, quando torum animum suum superiori quis detegit, omnes tentationes, propensiones & defectiones aperit, non modo nomen quod apud eum habebat non amittit, sed ipsum etiam mire adauget, habet namque eum & virtum humilem, mortificatum, manifestum & sincerum, non aliud in animi recessu occultantem, aliud extrema facie proidentem.

Altius porro rem hanc reperemus, & iam inde à prima radice declarabimus; est enim è præcipuis, quæ in hac materia sunt, punctis. Dico ergo Primo, nullo quemquam medio ad superioris amorem, benevolentiam, & voluntatem sibi conciliandam efficaciori vti posse, quam vniuersum animum suum illi retegendo, nihil vt ipsum celet, sed limpide in lucem proferat omnia; Nam vt passim Philosophi & sacri Scriptores docent, nulla re quis ad amandum prouocatur quam dum ante amari se videt, vnde etiam hoc nos argumento Euangelista Iohannes vt Deum amemus prouocat: Quoniam, inquit, ipse prior dilexit nos. Nulla ergo re magis ostendere quis poterit ardenti se in superiorem suum amore ferri, quam quod animum illi suum omniaque arcana, magna æque ac parua liquido patefaciat; Nam dum amicorum duorum amor ita syncerus est, & eo procedit, vt nihil inuicem celet, id magna & extrema cuiusdã amicitia indicium est, vnde discipulis suis redemptor ait: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis; Et vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis: Cum ergo superior subditum vniuersa pectoris arcana syncere sibi detegere, & nihil eo clausum retinere cernit, tunc demum intelligit, verè ab eo se diligi ac Patris & Dei loco haberi, eo,

Manifestatio, amorẽ superioris conciliat.

1. Ioh. 4. 10

Ioan. 15. 15. Luc. 8. 10.

Rodriguez exercit. pars 3.

Gg quod

Ex deteptione cõparat sibi quis apud superiorem maius nomen, honorem &c.

quod totam animam & honorem suum illi concedat, omniaque in manus eius consignet; hoc illius animum rapit, & suffuratur hoc ipsum ad magis amandum, maioremque illius rationem habendam, prouocat. At si cum videt sincere mentem non detegere, sed dupliciter agere tortuosus an fractibus & conuolutionibus
Luc. 8. 10. *vti, & in parabolis loqui, vt audiendo rem non intelligat: sufficiens hoc causa est, vt bonam de eo opinionem non habeat, & minus diligit; Videt enim se ab ipso minime diligi, parui fieri, vt patrem non haberi, cum sibi nec fidat, nec illi se detegere audeat; hoc quippe naturaliter quandam auersionem & animi alienationem causat; Quomodo tu a Superiore te vis diligi vt filium, si eum tu non diligas vt patrem? tu eum ama vt patrem illi te filialiter fidendo, & sincere candideque cum illo agendo, & ipse te complectetur ceu filium: Idem dicemus postea superioribus erga subditos esse obseruandum: Cum enim superior clare sincereque cum subdito agit, quodcunque demum illi dicat, & sic eum alloquitur: Ecce hunc & illum defectum habes, ob hoc passim notatis, ob hoc omnes te carpunt, da operam ergo, vt te emendes, tunc subditus eum diligit, agnoscit enim id e vero amore proficisci. At quando superior contortis & an fractuosus ambagibus cum subdito agit, & errata, quæ in eo notantur, quæque corrigi vellet, candide non aperit, sed aliud de foris ostendit, aliud animo fouet; hoc non est veri sincereque amoris, sed duplicis & ficti indicium. Cum ergo claritas hac & candor vtriusque elucescet, tunc demum verus erit superiorum in subditos, & horum in superiores amor, vera quoque inter vtroque animorum vna; & bene omnia se habebunt, sin minus omnia inanis quædam erunt species & mera fictio. Quamobrem adeo non per sinceram sui apud superiores declarationem amor perditur, vt etiam augeatur.*

Hinc sequitur secundum, aimirum

Luc. 8. 10.

Tract. 8. c. 1.

quod hac ratione, ne bonum quidem nomen & existimatio, quam de aliquo superior habebat, amittenda sit: Nam vbi amor est, semper est æstimatio, & nihil amat voluntas, quam quod illi ab intellectu, vt bonum & amatu dignum, representatur. Vnde duo hæc, amor & æstimatio, ordinave iuncta sunt, & simul incedunt. Sed his omisiss, vt magis ad particularia descendam, certum est hominem, esto quam foedissimas & spurcissimas tentationes habeat, nullam prorsus per eas quo ad primum iacturam facere: tentari quippe, hominum est Deo seruientium, & de in spiritu proficiendo sollicitorum potius proprium: Nam alii peccatores sæpe quid sit tentatio nesciunt, nec ad eas animum reflectunt, nec diabolus illis tentandis multum temporis opus est impendere, eo quod eum sponte & sine vlllo impulsu haud inuicti sequantur: cum illi quibus Deo serio seruire propositum est, quique virtutis & perfectionis studiosi sunt, a tentationibus assidue soleant impeti & pulsari; iuxta illud Sapientis: *Fili accedens an seruitutem Dei prepara animam tuam ad tentationem.*

Nonnullis sua solet tentatio probrosa admodum & pudenda videri, eamque ipsi & singulare quid extra ordinarium esse, & nemini quid vnquam simile contigisse opinantur: Itaque superiori se declarare non audent rati hoc illi nouum & peregrinum maxime visum iri. Est autem hæc tentatio nouitiorum propria; qui vbi rerum experientiam non habent, nec tentationum notitiam nouum id esse credunt, quod antiquum in primis & communissimum est. Itaque certus esto nihil dicturum te quod superiori Confessario tuo nouum sit, quantumlibet id tibi extraordinarium, peregrinum, & nouum appareat. Iam in alios multos incidit qui ab hac tentatione pulsati fuerint, forsitan & ipse per eandem transierit. At & Sapiens, *Nihil sub sole nouum*, Omnia sunt antiqua nulla ergo tibi videantur noua.

Ad

Manifesta tione estimatio non perditur.

Tentari proprium est Dei seruientium.

Ecclesi. 11.

Tentationes sunt hominum propriæ, qui vbi rerum experientiam non habent, nec tentationum notitiam nouum id esse credunt, quod antiquum in primis & communissimum est.

Nulla tentatio noua.

Ecclesi. 10.

Tentatio-
num mani-
festatio nul-
li boni no-
minis in actu
tam facie.

Tract. de
parulis ad
Christum
trahendis,
p. 2.

Superior
subditum
sentationes
suas mani-
festantem
magis dili-
git, & fo-
net.

Ad hæc ne quidem quod suos defectus & imperfectiones superiori patefaciat quidquam quis de nomine apud eum luo amittet; quod tamen quam egerri- me homo facere solet. Ratio est: quia hominum est labi: constamus quippe è luto, quod facile frangitur & dissoluitur. Et si vel seipsum in tuebatur superior, satis subditi fragilitatem agnoscit, omnes quippe ex eadem massa facti sumus. Vade non miratur nec nouum ducit, dum suos sic defectus & imperfectiones declarat. Gerson iunioribus & adolescentibus persuadens, vt nihil præ pudore confiteri omittant (qui alioquin error in id genus hominibus frequens esse solet:) ait, Ideone me minus tibi beneuolam fore, aut minoris æstimationem putas, quod tua peccata & imperfectiones norim? falleris: quia potius tunc te ceu filium charissimum, & sicut eum qui mihi sincere confisus est, & detexit quod ne proprio quidem patri ausus esset detegere complectar. Nouit Deus, inquit, quo amoris affectu, & dilectionis visceribus in illum ferar, qui suas mihi miseras aperit, quo quo viliores & foediores sunt, eo magis viscera & cor meum erga eum commouentur. Sane illa subditi in culpa sua declaranda humilitas & candor, illud eius in spiritu proficiendi, & vt curetur iuueturque desiderium naturaliter superiorem mouet, & in causa est vt eum intra viscera recondere & animum in eum suum totum velit effundere. Cum vel externus quis nos adit, suaque nobis grauamina inala & miseras aperit, magnum in nobis ipsis ad eum iuuandum amorem & desiderium concipimus, eumque consolari & amare qua licet procuramus: quid ergo filio fiet? Per magnum vero interest, hanc vt veritatem omnes quotquot sunt intelligant, animoque imprimant; nimirum se imperfectiones & infirmitates suas patri spirituali declarando, nihil de amore & æstimatione amissuros, imo vero magis ab eo propterea diligendos, & pluri faciendos, ne quis tanti mo-

menti negotium, quanti hoc est, per diaboli representationes in contrarium que falsæ sunt & mendaces, viurpare negligat.

Porro, ad maiorem huius rei confirmationem, notandum hoc loco est, ipsum male agere, & male agendi voluntatem ac propositum, pudendum quid esse, & indignum quod ante oculos tum Dei tum hominum appareat: at è contra male factum & peccatum ex animo detestari, ob id poenitere & erubescere, lapsus lachrymis plangere & confiteri coram Deo non tam probrosum est, quam honorificum: vnde etiam tale coram hominibus, qui Dei locum occupant videri & esse debet. Quarunt & disputant in scholis Theologi, num quæ sancti & beatitudine donandi alias in vita mortali admiserunt peccata, in die vniuersalis iudicii palam & in apertum proferenda sint? Variæ sunt quo ad hoc opiniones, sed hoc vnum quod ad propositum nostrum faciat, vt certum hac in re dicere possumus, videlicet, si modo ea publicanda sint, non tam in eorum qui ea admiserunt probum & confusionem, quam in eorum laudem & gloriam cessura: nam vna cum illis talis apparebit poenitentia & satisfactio, vt non confundendi & alioquin pudore replendi, sed potius honorandi & pluri propterea faciendi sint, quod facere Deo & facile & solemne est, & etiamnum hodie in multis sanctorum idem facere videmus; quorundam namque Mariæ Magdalena peccata publicantur & celebrantur, eaque in die eius festo in Euangelio magno eius cum honore & celebratione, & ad insignem Dei gloriam & honorem vt pote qui etiam è peccatis tantum pro licere potest bonum: *Qui fugit mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Id ipsum quoque in Apostolorum Petri, Pauli, Matthæi, & Davidis prophetæ, peccatis videre licet. Adeo vt ob illa peccata, quæ per talem sunt poenitentiam & satisfactionem expiata, nullam

Peccare coram Deo, & hominibus est res digna pudore, nõ item peccatum fateri.

Peccata Sanctorum in die iudicii eorum gloria manifestabatur.

Peccatis Sanctorum Deus maiorem eorum gloriam elicit.



Peccati confessio est limbus aureus lacera vestis assutus.

honoris sui æstimationisve iacturam faciant, sed potius quid lucentur. Egregia id solet similitudine declarari: Sicut dum noua vestis pretioso è panno confecta, & corpori vndequaque apta & bene concinna, nescio quo casu ad clauum aut paxillum adhærescens laceratur, & iam prope est, vt velut inutilis abiiciatur; fracturæ & hiatui limbus aliquis pretiosus vel aurea filamina, vel acu elaborata parerga superimponuntur. Itaque ipsa vestis pulchrior ac spectabilior apparet quam ante: Adeo vt non nisi studio, ad maiorem ei parandam elegantiam hæc fractura facta videatur. Sic sanctorum peccata, si modo manifestanda sunt, ita in die iudicii extremi omnium oculis exponuntur, vt nullam illis hæc infamiam aut confusionem, sed gloriam potius & honorem sint allatura, quod tam potenter beneque illa à se abdicarint, superassuerunt videlicet fracturæ suæ limbum aureum vel arte phrygionica elaboratum, qui magnum ipsis honorem & decus conciliauit. Hoc ergo pacto se res habet hic: vt dum quis suas confessario vel superiori infirmitates & miseras, magna sui cum confusione, pœnitentia, & vero remedii curationisque obtinendæ desiderio manifestat, adeo nihil apud eum deperdat, vt etiam magis ab eo honoretur, æstimetur, & ametur. Nam vt ait Sapiens, *Est confessio adducens peccatum, & est confessio adducens gloriam & gratiam.* Confusio illa & erubescencia, qua impellente quis culpas aperit, magnum conorem adfert & gloriam: at ea qua mouente culpas occulit, non nisi peccatum.

Eccl. 4. 25. Peccati manifestatio est confessio adducens gloriam.

S. P. N. Ignatius cum sacerdotem Religiosis quidem votis obstrictum, sed vitæ solutioris & profanæ, sibi que per omnia aduersantem, in viam salutis reuocare vellet, sed frustra tentatis omnibus, operam & oleum perdidisset, statuit tandem veluti vltimum tentaturus, apud illum peccatorum confessionem instituire. Cum ergo culpas suas

quotidianas iam aperuisset, se etiam superioris vitæ peccata quædam, quæ præ aliis eum remorderent & auergerent ait aperire velle. Incepit ergo adolescentiæ suæ infirmitates, & ignorantia iuuentutis tanto doloris & pœnitentiæ sensu tantisque cum lachrymis confteri, vt inde confessor plane sit immutatus & amare ac reuereri illum ceperit, quem antea summo opere horrebat, eumque in vitæ nouæ ducem & magistrum assumere. Exercitia spiritua hæc ergo instructore S. P. Nostro, obinuit, vitæque rationem in melius, magna omnium, qui prius eum nouerant, admiratione commutauit. Vnde facile apparebit, quam nullum sit homo per hanc sui detectionem, honoris & reputationis suæ amittendæ discrimen adituros. Nam per quod in oculis Dei fit melior, & plus sibi comparat, per hoc etiam apud homines, qui Dei ministri sunt, eiusque mores ac conditionem imitari debent, nihil deperdere, lucrari autem potius debet.

Atque hinc veritatem quandam satis experientia probatam, quæque etiam consideratu dignissima est, infero, nimirum quando quis sui arcana cordis liquido non aperit, sed ea quæ potis est celat, colligi hinc euidenter eum vitam in melius emendare nolle, ac de emendatione sui ne hilum laborare, sed pertinaciter in delictis suis manere & ex iisdem emergere nolle: si enim delictorum vere eum pignoreret & pœniteret, & firmum vitæ posthac prout oportet ducendæ propositum conciperet; ad oculum videt, nihil apud superiorem sibi per culpæ declarationem necnō dolorem hunc & emendationis propositū de nomine suo decessurum, sed accessurum potius. Vnde efficitur, hoc inter alia causam esse cur de fama sua multum deperdant, qui se candide non declarant; quia per hoc factis ostendunt, nondum se mores correxisse, & eosdem corrigere nolle.